



NECROLOGIA



† R. P. Ioannes Klang (1855-1949)

(*Prov. Baltimor.*)

Quod confrater noster P. Klang fere saeculum in hoc mundo transegit ac paene 72 annos completos in nostra alfonsiana familia, fidelis semper suis votis, id unum sufficeret, ut unam alteramve paginam nostri Commentarii officialis ei dedicemus atque eius memoriam sic inter nostrates perennare studeamus.

Ioannes Klang in vitam huius mundi venit 4 Nov. 1855 Neo Eboraci in sinu familae germanicae paroeciae S. Alfonsi, de qua plura videre est *Anal. XX* (1948), 76-78. A suo patre in iuventute multa audivit de difficultatibus maximis, quas primis Patribus nostri ibi viri laici « trustees » olim crearunt, donec intrepidus P. Rumpler, reicta ecclesia S. Nicolai « viae secundae », in « via tertia » nostris expensis novam SS. Redemptoris ecclesiam exstruxit; ipse vero in pueritia, aliquo saltem modo, domi expertus erat bellum civile « Secessionis » a. 1863. Schola elementari in nostra paroecia absoluta, a. 1868 missus est in Alsatię, ut studia gymnasialia in Gebweiler apud certos religiosos perageret, ibique a. 1870 novi belli, inter Galliam et Germaniam exorti, testis fuit.

Redux in patriam a. 1871, sacerdotium iamdiu desideratum adipisci statuit ingressu in Congregationem SS. Redemptoris. Intravit igitur in vix exortum Provinciae Americanae iuvenatum, qui primum Baltimorae ad S. Iacobi erat, post Ilchestriae in aedificio inferiore. Unus ex eius sociis ibi fuit Iacobus Blank, qui tamen ad professionem non pervenit, sed postea factus est Episcopus S. Ioannis Portoricensis et Archiepiscopus Novae Aureliae.

Vota religionis Ioannes Klang nuncupavit Annapoli festo S. P. N. Alfonsi 1877, annos natus fere 22. Mox transmigravit Ilchestriam ad aedificium superius, altiorum studiorum causa, ubi pro theologia morali magistrum habuit el. P. Konings. Die 2 Iunii 1881 una cum undecim sociis a futuro Cardinali Gibbons sacerdotio auctus est. Ferunt illo tempore eius vitam morbo pulmonum in tanto discrimine fuisse, ut Superiores



P. Klang in aetatis vigore. Decepit senis effigiem habes in « C. SS. R. Chronicle » 1949, p. 20.

serio deliberarent, possetne Fr. Klang Episcopo ordinanti praesentari. Vicit sententia benigna, ut scilicet infirmus solacium haberet aliquoties ante mortem incruentum Missae sacrificium litandi. Revera illud Deo omnipotenti offerre potuit per 68 annos, id quod per paucis mortalibus conceditur.

Valetudine satis firmata P. Klang a. 1891-92 Baltimorae in paroecia SS. Cordis laboravit. Ibidem postea sex annos fuit Rector, sex annos parochus ad S. Alfonsi aedem, quam paroeciam a. 1917 dimisimus, ut fieret paroecia nationalis Lithuanorum, alias sex annos Rector ad S. Michaëlis. Ergo in universum per 19 annos Baltimorae stetit.

Verum longe diutius vixit inter Provinciae iuventam, nempe septennio 1884-1891 Lector iuvenatus North East, sexennio 1909-1915 Lector iuris canonici et historiae ecclesiasticae in studentatu Esopus, biennio 1915-1917 Rector domus novitiatus Ilchester, tandem duodetriginta annos integros membrum communitatis dicti scholasticatus Esopus. Ibi olim primus Redemptorista fuerat, qui parvam paroeciam loci administraret, ac idem postea sueta sua sollicitudine perfecit per quadriennium. Reliquo tempore suae commorationis sese valde utilem reddidit qua praefectus ecclesiae ac « paenitentiarius maior » tot Patrum, clericorum studentium, Fratrum laicorum, sacerdotum quoque saecularium eo venientium. Praeterea hic bonus senex in multorum memoria vivit ut multiplex Iubilarius, quippe qui ibi et aurea et adamantina iubilaea professionis ac sacerdotii celebrare potuerit, « dilectus Deo et hominibus » (cfr. Eccli. 45, 1).

Ultimos tres annos cum dimidio hic venerabilis veteranus, quasi caecus, degit in tranquilla communitate Saratoga Springs, ubi Rex caelstis servum suum fidelem ad aeternum iubilaeum vocavit fer. II 18 Iulii 1949. P. Provincialis Ioannes Frawley cantavit Missam exsequialem, eiusque praedecessor P. Michaël Gearin funebrem sermonem pronuntiavit. Vere de hoc bono confratre valent verba S. Scripturae: *Corona dignitatis senectus, quae in viis iustitiae reperietur* (Prov. 16, 31)¹.